Scholae Piae Varsaviensis.

~~693~~

Golanski Philippi Nerii Oratio pro instauratione studiorum in Collegio Regio Varsaviensi Scholarum Piarum. 1782

ORATIO
PRO JNSTAURATIONE STUDIORUM
JN
COLLEGIO REGIO VARSAVIENSI
SCHOLARUM PIARUM
HABITA
a Philippo Nerio Golański
Professore Eloquentiæ.

ANNO DNI MDCCLXXXIII.

ORATIO.

IN tanta Scientiarum luce, atque hoc optimarum artium & Philosophiæ usu, nescio quo infelici fato fieri dicam, ut plerumque aliquid in iis desideretur, qui literis sunt instructi. Non desunt aliunde malevoli obtrectatores, qui sive per otium diffluentes, aliena omnia non intelligendo fortasse, damnent: vel invidia stimulati, eos odio prosequantur, quos aequare laude desperant. Quamobrem non levi macula literatorum nomen adspergitur & ipsarum literarum præstantiæ derogatur. Qua namque ratione nobilissimæ artes & scientiæ deessent moribus? aut animos debilitarent & frangerent, quæ nihil in vita tantopere expetendum suadent, quam laudem, virtutem & honestatem?

In amplissimo siquidem clarissimarum disciplinarum theatro, Philosophicarum observationum moles cernitur: quæ proinde vero ac virtute firmata, utilitatibus vitæ ac generis humani felicitati deservit. Nonne potius ignorantia & ruditas, aut pessimæ consuetudinis, aut legum iniquitatis causa fuerat? salutares etenim ii qui vere docti fuerunt, proposuere. Qui profecto si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adjuvarentur; nunquam se ad earum studium contulissent.

Quid igitur rei est, quod ita sanctitati morum timeatur, ne posteaquam docti prodierint, boni deesse cognoscantur? Confunditur re ipsa cum turba sciolorum sapientis nomen: atque vera Philosophia, ob falsam arguitur. Vulgus autem inconsulte Philosophi ac vere docti cognomen prostituit: cum eruditionem literati iniquissime a probitate secreverit. Nihilo enim commendari potest plurimarum rerum scientia, quæ potissima sui parte vera nempe probitate caret. Quare cum Sapientissimis & integerrimis Viris ita omnino censeo; neminem vere sapientis ac docti laudem mereri posse, nisi probus extiterit.

Jstud porro argumenti genus, adolescentibus non inutile: quorum caussa potissimum hæc oratio instituitur: Vobis Auditores, qui illud in vobismet ipsis probatis, non ingratum esse puto.

Plurimarum rerum scientiam comprehendisse, magnoque labore secretiora Musarum penetralia adiisse: vel ut ea sciantur, quæ alii ignorant, perfecisse; non hæc profecto est Veri Sapientis nota & gloria. Omnis enim ratio studiorum, omnis ingenii vis & industria, omnisque labor eo tendat necesse est, uti hominem, in quacunque demum conditione vitæ, honestum virum, sociabilem, continentem effingat. Hanc, veram ego sapientiam, vitæ humanæ ducem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, optimo jure cum Tullio definire possum: quæ ut ipse ait: *sola nos a libidinum impetu & formidinum terrore vindicat.* Quam qui cognoverit, multum

tum sane laudis & gloriæ sibi parabit: qui vero ignoraverit, quamquam se multiplici eruditione ornarit, haud modicam nomini suo labem inuret.

Quam multa enim sunt & quam præclara in universo scientiarum orbe, quæ homines commendatione dignos efficiunt: sed nihil æque ad veræ sapientiæ laudem accedit; quam si cum integris purisque moribus, optimarum artium studia conspirent. Non immerito proinde a plurimis retro sæculis, Viri Philosophi primarium nobilissimarum disciplinarum fructum, in eo positum esse intelligebant; ut quod ad doctrinæ suæ laudem, idem ad virtutis famam prodesset: & ii qui ingenio cæteris ac rerum cognitione antecellerent, vitæ quoque innocentia ac morum integritate præstarent. Nec prudens aliquando negaverit, quod super hoc fundamento construitur; in sempiternam sæculorum memoriam propagari. Alia enim omnia, neque tantum perdurant, neque tam copiosa luce inclarescunt.

Quid etenim vastissimæ eruditionis, (quæ per se quidem expetenda est) opes valerent; si ignoraretur, quod in iis præcipuum debet esse, nempe scire vivere? Studia enim literarum, cum sint studia hominum; utilissima hominibus, in recta vitæ ratione adminicula debent esse. Hæc profecto vera & summa scientia, necessario veri sapientis animum & ingenium penetrare debebit. Quippe quæ & res florentes utilissime conservat, & adflictis perfugium ac solatium præbet. Quis autem hanc neget omni subtilissima indagatione priorem, cum ei tota vita studere necesse sit? „Et multi ut præ„clare ait Seneca, cum divitiis, officiis, voluptatibus renun„ciassent; hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, ut vi„vere scirent. „

Longa sane experientia optima rerum magistra docemur; ab hujusmodi studio salutem omnium ac incolumitatem pendere. Qua e medio sublata, nulla magis pestifera lues humanum genus adfligeret. Ad hujus itaque scientiæ præcepta, qui non continuo vitam conformet suam, licet aliis, non medio-

diocriter sit instructus, vere doctum & sapientem, nescio quo pacto pronuntiem. Qua namque fronte talem appellari sinamus, qui in virtute & honestate sibi minime constat? aut cujus eruditio, impietatis fieret comes ac scelerum administra? Natura ipsa, tanta nobis ad bene ac beate vivendum subministrat auxilia: quibus proinde sive uti non velle, sive ea ignorare, perinde est a recta sapientiæ via decedere.

Fuere certe complures, qui multiplici eruditionis apparatu censebantur instructi: sed eorum ingenii laus siqua fuerat, celeriter velut umbra diffugit: eo quod magis forte videri sapientes, quam esse studuerint. At vero cum aliquid pie, prudenter, juste, moderate factum; id vere sapientis laudem & probat & sustinet.

Quæ ego in hanc rem documenta adferre valerem, quibus haud difficulter evinci posset, aliud vere sapientis, ac eruditi nomen sonare. Hic enim (quod plerumque fieri videmus) scire multa, noxie, ille, non nisi utilissime potest. Cum longe aliud sit multa scire, aliud recte omnia scire. In altero eorum si accedat improbitas, literæ veluti gladius in vesani ac furiosi manu districtus, in altero autem veluti salubris medicina, quæ cruorem abstergit ac vulnera sanat & reficit.

An vero quibusdam (quos commemorare nolim) & anteriorum & nostræ ætatis hominibus, eruditis quidem, at nefariis, vere sapientis laudem concedi putabimus? Nisi forte eos vere doctos esse dicamus, qui amicissimorum generi humano Philosophorum obtentu, fas omne & rectum, inveterati erroris vocabulo, ad libidinem suam traducunt: quique rerum acquisita notione pertumidi, opiniones suas velut oracula coli debere persuadent: & videri sibi sapientes amant, ubi jura omnia convellentes, quidquid sanctum & decorum conculcant. Næ isti, cum de vera sapientis laude agitur, quibus non imponunt, certo periclitantur.

Non nego equidem pervetustis temporibus, antequam

Musæ

Musæ venales prostarent, sapientissimorum Philosophorum nomine, Poetas cohonestatos fuisse: quod iis tum æquissimo jure debebatur. Quippe qui cultum Numinis, honorifice: pacem inter populos, salubriter: justi ac recti amorem, integerrime docuissent. Quapropter suspiciebantur veluti viri divinitus inspirati, summoque excipiebantur honore: Principum ac Legislatorum amicitia colebantur, qui eos apud se retinere volebant, uti eorum consiliis juvarentur. Græci quoque Sophistæ (ut literarum monumentis consignatum est) magnam sibi primum sapientiæ laudem ob ingenium & virtutem conciliarunt: eaque de caussa Romæ in maxima existimatione fuere: adeo quidem, ut unus eorum *Proeresias* cum superbo hocce *Regina rerum Regi Eloquentiæ* titulo, statua donaretur. Mox ubi virtutem ex oculis & sinu dimiserint, jam tum a Socratis temporibus, despectui haberi cæpere: quorum ille projectam audaciam merito depressit: cumque Romam subinde confluerent; non raro a Senatu Urbe excedere coacti: *eo quod loqui, non agere docuissent.*

Merito proinde Vir gravissimus M. Cato, illum esse Oratorem asseveravit, qui *Vir bonus* esset *& dicendi peritus*: adeo quidem, ut prius ille censuerit Virum bonum, quam Oratorem formari. Quintilianus autem, quo nemo melius ex antiquitate Oratorem instituit, nunquam talem vere dici, nisi Virum bonum contendit. „ Oratorem inquit ille, instituimus „ illum perfectum, qui esse nisi Vir bonus non potest: ideo„ que non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes „ animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, „ rationem rectæ honestæque vitæ, (ut quidam putaverunt) „ ad Philosophos relegandam: cum Vir ille vere Civilis & „ & publicarum privatarumque rerum administrationi ac„ commodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, „ emendare judiciis possit, non alius sit profecto quam Ora„ tor... Fueruntque (hæc ut Cicero apertissime colligit) „ quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata: „ ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur... Sit „ igitur Orator Vir talis, qualis vere sapiens appellari pos„ sit.„ Cum enim male sine moribus eloquentia discatur

& omnis

& omnis dicendi vis & industria in hoc potissimum sita sit, ut audientium animos flectat ad ea, quæ recta sunt & honesta; qui id alienus a virtute vir malus præstiterit? qui ingenio ad ostentationem, eruditione ad fraudem, uberiore rerum notitia, in obliquum uti velit? Nulla omnino Oratio institui solet, quæ non frequentissime aut justitiæ, aut temperantiæ, aut fortitudini, aut aliis bene multis innitatur virtutibus. Omnes scilicet virtutis specie ac opinione ducimur. Atque ideo a vera sapientia alienissimi; qui id in perniciem Civitatis adstruunt; quod in ejus ornamentum conferre deberent. Prorsus majore ignominiæ nota, quo meliori emolumento in contrarium ageretur.

Quodsi probatissimorum Philosophorum sententias investigemus, quisnam est hominum cætus, qui tam sedulo ac diligenter veri sapientis expendat dotes? Hunc illi ita a vitiis procul abesse decernunt, uti neque minima criminis suspicione laboret: & ea quæ recte peragit, non ut facere videatur peragat, sed quia aliter non possit. Dandum fortasse aliquid imbecillitati humanæ. Cum ille optimus sit, qui minimis urgeatur. Una tamen semper fuit vox integerrimorum Philosophorum: a vera sapientia, continentiam, fidem, justitiam, cæterasque utilissimas derivari virtutes: quæ nisi cum homine literato arctissima necessitudine conjungantur; nunquam eum profecto vere docti nomine dignum existimabunt. Inde Plato sua in Republica Magistratus & imperia Philosophis destinavit; quod ii nimirum ut ipse ait, *homines* sint *temperati, justi, fortes, magnanimi*. Non intelligebat sane Vir ille aut profundis arcanorum naturæ scrutatoribus, aut subtiliter de multis disputantibus, aut quibusvis aliis novæ Reipublicæ summam committere; nisi ad intelligentiam eorum, ratio accederet, conformatioque virtutis. „ Sæpius ad laudem atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam „ Cicero ipse testatur. Quo quidem luculentissime perhibetur, ad veri Sapientis gloriam, mores omnino requiri.

Quid? si animi nostri facultates, & naturam ipsam consulamus

sulamus; clare procul dubio cognoscemus, vere docti laudem, in vitæ innocentia & morum sanctitate sitam esse: adeo quidem, ut ne mediocrem sine illa, tanto minus solidam perfectamque paraverit. Nemo enim in literis tam hospes est, qui ignorare unquam possit, quantum ad præclarum aliquem in studiis progressum faciendum, præter ingenii acumen & intelligendi solertiam, maxime sedati placidique animi opportuna tranquillitas. Experientia quippe evidenter omnino constat, si qua alia in re, tum præcipue in liberalibus disciplinis, *turbatum animum non esse aptum ad exequendum munus suum:* quemadmodum Cicero longo rerum usu præditus dictitare solebat. Quæ autem magis infesta animi perturbatio, quam ea, quæ a vitiis pravisque cupiditatibus ortum ducit? Prorsus uti illi, qui ægro sunt corpore, omne cibi genus fastidiunt, ita qui ægro sunt animo, omne literarum genus aversantur.

Age vero quod valetudo ipsa, qua nihil certe jucundius ac pretiosius excogitari potest nequiter inordinato vivendi modo, debilitatur & frangitur? Tum vero sensim vires corporis imminutæ, paulatim labescunt ac decidunt. Infirmitatem autem corporis, excipit ægritudo mentis. Animus, illo priore suo vigore destituitur, facultas intelligendi evanescit, memoria ~~habebatur~~, copiosaque vis olim felicis ingenii, noxio quodam sopore gravatur: atque ita cum viribus corporis, vires etiam mentis deficiunt. Quis autem addubitare velit, quantum ad robur animi & vigorem mentis, faciat corporis valetudo? cum id usu quotidiano experiri soleamus. Sic demum ubi mentis facultates attritæ, quo plus conatur animus, eo minus intellectus exequitur. Ac qua tandem ratione, solidæ perfectæque eruditionis laudem attingere valeant; qui mediocris exercitationis fructu privantur? hebetatur

Neque est quod mihi quisquam objiciat: istiusmodi sanitatis damna quæ subinfers, illis etiam usu venire plerumque, quos uti vere sapientes & doctos appellas. Longe namque diversam in alterutro ejusmodi hominum genere rationem esse quis non videt? Fatigatur enim revera corpus assiduitate studiorum: at non tam præpropere enervantur vires illæ.

Tum recta & honesta vitæ ratione, non est quod detrimentum afferat. Fortasse etiam ab intima animi voluptate, quo plura cognoscunt atque utilius exequuntur; corpus quoque reficitur ac recreatur. Adde quod in aliis recte factorum conscientia prœmium est; in aliis pœnas exercet.

Neque etiam istiusmodi homines vere doctorum societate ac consuetudine honorantur. Amicitia enim ut probe observat Tullius nonnisi inter probos consistit. Quos autem ingeniorum similitudo conjunxerit, ubi morum dissimilitudo disjungit? Sicut igitur contraria naturæ elementa secum necessario pugnant, neque eodem in loco stare possunt; ita vere sapientes ab eruditis quidem aut vanitate, aut arrogantia, vel malignitate plenis, omnino abhorrent. Quæ tandem laus eorum potest esse, qui jucundissimo cum optimis viris familiaritatis usu prohibentur?

Porro quo vita sive privata, sive Civilis aut Politica, securior ac suavior evadat; universi recte sentientes ac docti, eum sibi studiorum suorum scopum ac metam definiunt, uti verum quod maxime usui est, rectissime ac utilissime cognoscatur. Quid enim sine hac basi firmum esset? At posito stabili fundamento, procul omni periculo ædificium consurgit: sic ubi opinionem nostram ac judicium cum re ipsa convenire videamus; nonnisi rectissima factu & utilissima in commune decus & bonum conamur & agimus. Nihil autem vitæ hominum accomodatius, nihil literato gloriosius, nihil Reipublicæ salutarius, quam id agere, id consulere, id velle, quod debeas; si ad quod tenearis, intelligas. Felicem profecto Civitatem ac beatissimos Cives futuros, quorum opinio ac judicium rebus ex æquo consentirent. Candor ille mentis & pietas & prisca fides, quæ dudum exules terris dicebantur; pristinam sedem suam repeterent.

Ipsa siquidem laude dignissima exercitatio virtutis, uti verum est hominis bonum; ita veri fons & origo. Si cui vero non ea comes & adjutrix adstiterit; quantis animi perturbationibus, velut in procellosa tempestate jactatur? Ei omnia

perplexa

perplexa, difficilia cuncta, quæ in rectissima morali scientia justi ac veri nota signantur. Quodsi ita incertus fluctuat, næ animus ad lucem veritatis caligat ac in pravis cupiditatibus suis omnia sacra & profana demergit. Nullius certe tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut ratiocinandi tanta vis fingi potest, quæ ejusmodi vere vobis sapientem persuadeat. Credo enim doctrina non est vitiorum illecebra sed adjumentum virtutum: eique maximum ornamentum tollit; qui ex ea id tollit, quod rectum est & honestum. Quinimo ultro isti Philosophorum sententiæ volens lubensque subscribo: quanto majus literis lumen doctus afferet; tanto clariore probitatis luce fulgebit. Neque illi unquam consentio; qui literas uti perniciosas, declamatorie magis quam vere ut opinor damnavit.

Eo sane ignorantia se ad incusandas artes præsidio tueatur. Nequaquam autem illæ animos hominum cum publicæ rei pernicie labefactant. Verum eædem causæ, quæ ad earum copiam & progressum concurrunt, minime speratos aliquando producunt effectus. Sunt profecto Civitates & populi, in quibus singulari rerum vicissitudine ac nexu, germen artium & literarum, non alia magis tempestate in aspectum evolvitur; nisi qua mores cæpere corrumpi. Ubi enim certus mortalium numerus, in unum Reipublicæ corpus coaluit, jam tum Civitate fundata, ob vicinorum invidiam de fortunis bonisque suis periclitantur. Novelli proinde cives, una milites & agricolæ debent esse: simul aratro ad victum, simul armis ad se defendendum instructi. Non eos libido aut luxus, aut ulla partium studia transversum agunt, quos metus externus, domi quietos, foris cautos præstat. Post superatos deinde hostes, pace parta & auctis opibus, otium quod Musis favet ac Philosophiam exercet; subinde molles enervat animos ac luxu depravat. Quod ipsum abunde mihi probare videtur, nihil esse tam utile, tamque decorum, quo malignitas hominum abuti non possit.

At vero Vir laudabilis æqui bonique æstimator (vere Sapientem intelligo) qui doctrinarum pretium & pericula

 igno-

ignorantiæ novit, suæ ac aliorum consulendo saluti, verum & veri fructum in omnibus prudenter & sobrie investigat. Eam ob rem artes & scientiæ, uti suam approbationem mereri valeant; nobilissimum scopum debent habere propositum, veram nempe perfectamque Civitatis universæ felicitatem. Ita enim ejus sive natura, sive Philosophia comparatus est animus; ut quod optimum in omni disciplinarum genere sentit, exerceat. Qui quidem sanæ rationis lance diversissimas mortalium ponderando curas; ipse discat a culpa vacare: & ubi paci & tranquilitati apprime studet, desideria moderatur sua: neque existimat, se plus justo verum & sincerum coluisse. Nec aliud prorsus suis in studiis spectabit unquam, nisi ut in dies utilior ac melior evadat. Dum autem alii torrente perturbationum suarum abrepti, non præmeditentur quid agant, atque ideo ultro se fluctibus involvi sinant, vere sapiens in ejusmodi periculo constitutus, non nisi præmeditate vult agere. Esto etiam (ut ita loquar) in tenebris, sed lumine præcedente deambulat. Hinc alienissimus ab iis erit; quæ vulgo cum dispendio quietis ac salutis quæruntur. Cumque omnia ad communem utilitatem referre didicerit; nunquam se cæteris asperiorem præbebit. Non enim sibi sapiens videri cogitarat. Imo vero studiose perquiret afflictorum levare dolorem: cum probe noverit patientiæ virtutem in reliquis difficillimam: quæ longe difficilior factu existeret; nisi spei fulcro sustentaretur. Nullis etiam flagrabit odiis: nullis unquam suspicionibus laborabit. Nam ut quisque est Vir optimus; ita difficillime alios improbos suspicatur. Quod si rei domesticæ inopia laboret: opportuna equidem paupertati suæ providebit remedia: at procul omni dolo & fraude. Quo enim plurium cognitione instructior; eo plus recti honestiqe tenacior. Æquanimitatem proinde servabit afflictus & studio meditandi quæ recta sunt consolabitur. Aut enim animos, tantam ferre posse rerum humanarum contentionem putabimus; nisi eosdem salubri doctrina relaxemus? Injuriam sine ægritudine sustinet potius, quam licetsi acerbe læsus inferre cupierit: quamque mox beneficiis vindicare putabit. Age vero si opibus & valetudine perfruatur: quid

dicam

dicam & quomodo intelligam ? sciet uti. Quæ enim adfflictis ac desperatis rebus suis præbuere solatia; ea secundas ornant & augent. Si forte demum summos imperii fasces, bonorum omnium votis teneat: sed enim opportune difficilimis hisce temporibus, rerum nostrarum potitur Sapientissimus PRINCEPS STANISLAUS AUGUSTUS. cui non extorsisse, sed meruisse Nominis hujus laudem & gloriam maxime necesse est, conscientia suffragetur. Quid vero pluribus contenderem recti sapientis adumbrare imaginem, ubi nostrum Principem intuemur? cujus providentia omnium temporum iniquitate superior.

Possem equidem per omnes artes & disciplinas percurrendo, multa adhuc in rem suscepti hujus argumenti adducere: quantum nempe ad veræ sapientiæ laudem, tum Philosopho, tum Politico, tum Jurisconsulto, tum Physico, tum Mathematico, tum Historico, tum infinitis aliis faciat probitatis commendatio: & in id excurrere, quo quisque doctior, eo virtute debet esse præstantior: possem & illud adjicere, diversa literarum studia, diversi generis ac conditionis hominibus, nec universa singulis in laudem venire: veræ autem Sapientiæ studium & dignitatem ad omnes extendi: neque etiam reticerem, in Divinis Religionis nostræ Oraculis, *Sapientis* & *Justi* nomen sæpe confundi & idem sonare: cum unum sine alio non probetur; verum & hæc oratio mea in immensum excresceret & id unum satis me ad instar omnium dixisse censuerim, quod gravissimus publicæ Institutionis Magistratus veram doctrinarum laudem, in solidæ virtutis arce firmiter collocatam voluerit. Quippe qui novellos cives, una cum literarum studiis, religione in DEUM, pietate in Patriam, officiis in omnes, plurimum excolendos judicarat. Noverat enim mala quæ Civitati eveniunt, non aliunde repetenda, quam a neglecta rectæ hujuscemodi institutionis cura. Ubi enim cives infirmata Religione, mutuo, sese juvare non discerent, cum neque mentem utilissimarum rerum cognitione illustrarent, neque pectus virtute obfirmarent; quod in communem Patriæ salutem consulendum foret, aut nescirent ignari, aut fugerent

impro-

improbi: seque tandem Remque publicam pessumire negligerent. Verum jacta sunt fundamenta certi in id præsidii: opere foris honorifico, necessario domi, peropportuno juventuti: quod integerrimos Cives poscebat.

Accedet Augustæ Domui Jagellonicæ non modico profecto decori, Amplissimum Principem Michaelem Poniatovium, in Collegio Præfectorum publicæ Institutioni, primas tenuisse: qui nihil certe nactus est fortuna sua majus, quam universis prodesse. Ei nos luce hodierna publica gratulationis officia præstantes, ut diutissime in salutem plurimorum hisce suis ornamentis fruatur, exoptamus.

Videte jam Adolescentes ne vota tanti Magistratus, imo in eo totius Reipublicæ sensum negligatis: neve spes Parentum ac nostras etiam curas & defatigationes supervacaneas reddatis atque vosmetipsos fraudetis. Vestra quippe res agitur, ut viri probi & instructi Cives tandem aliquando in Patriæ solatium evadatis: eo meliores futuri, quo veriorem doctrinarum gloriam cognoscetis.

Uberrimum vero laborum nostrorum fructum assecutos nos esse prædicabimus; si ea dociles tenueritis, quibus opportune ac sedulo imbuemini. Date hoc vestris Præceptoribus, date eorum fidei, vigiliis; ne gravissimum docendi munus, etiam molestissimum sit. Quoties autem de institutione vestra cogitabitis; toties de maximis in vos Reipublicæ beneficiis, toties de singulari Parentum ac Præceptorum circa vos sollicitudine, toties de sapientia providentiaque Amplissimi publicæ Institutionis Magistratus cogitare debetis. Quotiesque de vera Sapientis gloria, vobiscum ipsi reputabitis; toties recordemini, qui meruerit vocari. Cum nemo uspiam vere sapientis ac docti laudem promereri valeat, nisi probus evaserit. Cæterum præstat minus doctos, quam minus probos vixisse.